

*Cassiopea peruenit, quasi reliquias. Sed cum tu per paral-
 laxin probes longius ipsa Luna à terra hunc, quem superio-
 ri anno vidimus, abfuisse: & ego, siquidem demonstrationũ
 vera sunt fundamenta, eas impugnare non didicerim, li-
 bẽter do locum meliori iudicio, & me hoc quod nescio nesci-
 re fateor. Piẽ illa quæ de stella Magis ostensa afferuntur,
 dici fateor. Sed non tam his ostentis quàm diuini manda-
 ti & pœnæ grauitate nõster torpor excitandus erat. In-
 geniosa autem sunt quorundam commenta magis, quàm
 probanda, qui extincti animam ad polum lucere scripserũt.
 Ea ex Dione sumpta arbitror. Is enim de Hadriano Impe-
 ratore, cuius ætate eiusmodi stella in cælo fulsit, refert. Ei
 ad nescio quas artes Magicas, in quarum tractatione fuit
 nimius atque immodicus, opus fuisse humana victima. Ad
 eam cum se Antinous, quem in delitijs habebat, obtulisset,
 & voluntariam mortem oppetisset, conspectam deinceps
 eiusmodi stellam, quam Hadrianus Antinoi animam di-
 cere solebat. Sed quem non virtutis egentem abstulit atra
 dies, is per vim occisus est. Nec ut Antinoo simulachrum
 vel statua illi collocata, sed ες κέρας, ac potius ες κίρκου
 raptus. Verum & huic per orbem monumenta fiunt, non
 minus firma quàm quibus Antinuum Hadrianus celebra-
 re studuit. Sed hæc mittamus. Tuo verò scripto & tibi o-
 mnia felicia opto.*